

mala plantatio degenerans et a probitate et moribus pater:
 nis omnino alienus in omnes bonos sequebatur tyrannide
 inaudita. Omnia siquidem sua consilia disponens ad votum
 et voluntatem infidelium scilicet Iudeorum vel Saraceno-
 rum, quos insuper captus maiori vesania super nobiles et
 optimates regni extollens eisdem infideles per omne regnum
 in dignitatibus et officiis publicis rectores et administratores
 regionum negotiarum provincialibus et regionibus preponebat.
 Adhucbat insuper frequenti contubernio infidelium concu-
 binarum, quas sicut uxores pertractans in cultu regio fidelis
 uxori proprie preferibat. Tandem post cedem plurimorum
 nobilium perpetrata uxorem⁴³⁷ quoque propriam fidelem,
 quam de domo regali⁴³⁷ Francie acceperat, quia mores im-
 pios viri detestans sepius arguebat, manu propria interfecit.
 His igitur impii regis crudelitatibus irritati optimates et no-
 biles regni una cum populo insurgentes contra ipsum fa-
 cientes sibi regem fratrem ipsius naturalem de nobili quidem
 genitum concubina Henricum nomine et illi fortiter adheren-
 tes dictum Petrum a regni finibus expulerunt. Qui tamen
 principis⁴³⁷ Aquitanie filii scilicet regis Anglie, fultus auxilio
 congregato exercitu regnum perditum recuperavit. Sed cum
 ab incepta tyrannide non cessaret rebellionem contra se provin-
 tialium de novo procuravit. Unde subito bello continuo inter

et regaliū ced.

⁴³⁷ Blancam, Bourboniae ducis filiam.

⁴³⁷ Eduardi.